Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.

Wien, 1799 Seite 867

Quelle:
Copyright:

per 40. continuos dies perſoluturo promittit Scriptor 20. annorum indulgentiam et apparitionem Deiparae ante obitum.

III. *fol.* 76. *Dialogus S. Gregorii.* Libri IV. quorum ſingulis Elenchus *Capitum* praefixus eſt. *Prologus*, quem Noſter vocat, incipit: *Quadam die nimijs quorundam tumultibus ſecularium depreſſus* &c. ut edit. *ſupracit.* T. II. *col.* 149. Ultima Libri IV. ſunt: *ſi ante mortem deo hoſtia ipſi fuerimus.* Lectio caſtigatior, quam ſupra *Paſtoralis.* In *Prologo* pro: *amicitiis obſtrictus* Noſter *in amicitiis adſtrictus*, et *ipſa nimirum carnis clauſtra* pro *ipſa jam carnis clauſtra* &c.

IV. *fol.* 168. Fabella pia de *Gregorio M.* et quodam ejus *ypodiacono Petro*, qui Epiſtolam in Miſſa legere non potuit, quia *commatrem* ſuam *Donatam* in confuendo ejus induſio adjuvit, et deinceps illuſionem per ſomnum paſſus eſt. Piget in fontem hujus commenti inquirere; initium tamen adſcribam. *Quadam die dum prepararet ſe pontifex gregorius ad miſſam cantandam dixit miniſtris ſuis, ut omnes prepararent ſe, diaconi et ſubdiaconi numero VII. et diaconiſſe numero ſimiliter* &c. Gerrae!

V. *fol.* 169. p. 2. absque inſcriptione: *Gregorius genere romanus arte philoſophus gordiani uiri clariſſimi et beate ſiluie filius* &c. Eſt *Vita* magni Pontificis ſcripta a *Johanne Diacono*, et repraeſentata a *Maurianis* T. IV. *Opp. col.* 23. ſed in Codice cum C. 10. abrumpitur.

CCCXCI.

Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. nunc 93. 4. charactere minutiſſimo ſimul et nitidiſſimo per duas columnas exaratus, coloribus diſtinctus, et olim, ut *pag.* 1. ſubnotatur *Monachorum congregationis ſancte Juſtine de padua, deputatus monaſterio ſanctorum Seuerini et Soſſij* (Soſii M.) *de neapoli*, varia complectitur, quae ordine edicam. I. praemiſſo Capitum Elencho *Incipit liber paſtoralis Beati Gregorij urbis rome ſummi pontificis ſcriptus ad Johannem* (Ravennatem) *epiſcopum. Translatus ab Anaſtaſio Antiocheno epiſcopo in grecum.* Juſſu nempe *Mauritii* Imp. Liber hic T. II. Edit. *Maur. Pariſ.* 1705. *p. 1. f.* in *Partes* IV. tributus nobis continua *Capitum* LXV. ſerie decurrit, quae tamen a C. XLVIII. ad C. LXI. Codice excidere. Praeterea Syllabum illum *Admonendorum*, qui in Edit. *cit. Partis* III. c. 1. conſtituit, omittit Codex usque ad illa verba: *Aliter admonendi igitur ſunt viri, atque aliter feminae, quia illis graviora* &c. et fortaſſe conſulto, quia, quae praecedunt, indicationis magis ſpeciem habent, quam tractationis. Ceterum incipit, ut in Editis: *Paſtoralis cure me pondera fugere* &c. et finit: *tui memet meriti manus leuet.* Lectio etiam probe conſpirat.

R. 47

II.